



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu**

**Estrix, Aegidius**

**Moguntiaë, 1679**

Propositio XXVI. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriá sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid, quod reverà fecit, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42472**

Joannis Wiggers in 2. 2. Tract. 8. c. 5. dub.  
12.

Frequens verò apud Doctores illius scholæ est mentio de *juramento sine animo jurandi*, ut distinguitur à *juramento amphibologico*, de *juramento sive intentione jurandi*, de *juramento simulato*, quod etsi negent esse licitum, factentur tamen communissimè non obligare per se ad præstandum id, quod juramento promissum est. Ita docuerunt Malderus loco cit. in 2. 2. Wiggers loco cit. dub. 11. plurimis verò Thesisibus propugnatum est ab illis Doctoribus die 12. Augusti 1632. die 27. Novemb. 1640. die 18. May 1640. die 13. Februarii 1640. die 24. May 1642. &c.

### PROPOSITIO XXVI.

**S**I quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid, quod reverà fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam diem ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec est perjurus.

Autorem propositionis citat Joannem Sanchez Jesuitam in opere morali P. 2. l. 3. c. 6. n. 15. & mille alios in praxi.

Observavi ad Prop. 9. Joannem Sanchez non esse Jesuitam. Veros autores doctrinæ, quam



quam continet Propositio, suggeram, si in gratiam imperitorum & malevolorum monero, nullum penitus Theologum illius esse Autorem, si intelligatur ista restrictio locutionis adhibita sine causa excusare, non solum à mendacio, sed etiam ab omni alio peccato; quo sensu nata est accipi propositio ab imperitis, & vendi solent propositiones similes à malevolis; sed imprimis Causidicis quibusdam privata odia, & bilem unde unde collectam, infundere gaudentibus in causas publicè agendas; de quo fidem, ut puto, Brugis inveniam.

At verò si intelligatur ista restrictio sine causa excusare quidem à mendacio, non tamen à peccato turpis doli & fraudis, Autores doctrinæ sunt illi omnes, qui docuerunt ex justâ causâ licere uti hujusmodi restrictionibus: quod docuerunt Adrianus, Molanus, & re ipsa Malderus Lovanienses Doctores per celebres; Angelus, Silvester, Richardus, Petrus Paludanus, Capreolus, Almainus, Corradus, Rodriquez, Salonius, Basil. Pontius, Philarchus, Sayrus, Lud. Lopez, Bonacina, Machadus, alique multo plures apud Moyam in select. quæst. Tract. 2. d. 1. q. 6. §. 4. Guilielmum le Maire in Statuta sect. 1. cap. 12. §. 1. sed imprimis Martinus Navarrus tractatu copiosissimo de licito usu re-

re-



restrictionum in cap. *Humana aures*. His omnibus, si videbatur operæ pretium, poterat accusator subscribere pro Joanne Sanchez Thomam Sanchez, & quosdam alios, quos præcipuè oderat.

An verò damnata sit Propositio ut scandalosa, &c. quia nata est sic accipi ab imperitis, & venditari à malevolis, quasi affirmetur, restrictionem illam excusare, non solum à mendacio & perjurio, sed etiam ab omni alio peccato, in quo sensu nusquam illa reperitur, an verò quia affirmatur, restrictionem illam excusare à mendacio & perjurio, etiam non excuset ab alio peccato, judicabunt sapientiores. Quod verò affirmat Accusator, Autores Propositionis esse mille alios in praxi non moretur nos ista petulantia.

### PROPOSITIO XXVII.

**C**ausa justa utendi his amphibologiis est quæ sit id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

Autorem Propositionis citat Tamburinum, sed incerto loco. Quæsi vi ego locum, neque inveni: ne ergo imposuisse videatur hîc quæque locum proferat: tum videbimus an Tamburinum intellexerit.

Certe